Pag. 1.a confirmat cl. Author iterum errorem gravissimum jam alias in
Epistola sua Responsoria ad primam dissertationem Benedicti Cetonis
pag. 50, me absente Anno 1768 in publicum sparsum scilicet
Patrem Sajnovics à Rege Daniæ pro observatore summi momenti,
(Transitus scilicet Veneris per discum solis) in Daniam evocatum, etc.
quem palmarem errorem, utpote Veritati et relationi meæ in opere
Expeditionis litterariæ publico communicandæ, atque etiam obiter
jam in Præfatione ad observationem Wardohusij factam indicatæ
prorsus contrarium, hoc loco omnino corrigendum, et revocandum
censeo: Cum itaque hic error evocationis Regiæ Patris Sajnovics
ex ignorantia facti a cl. Authore admissus est, necessarium arbitror, informandi
de hoc negotio cl. Authorem: Primum itaque non debet sibi imaginari
Author Evocationem meam à Rege factam eo modo factam, qua Missionarij
evocari solent, qui datis litteris vel ad Generalem nrm vel ad
Provincialem viros quoscunque sibi mitti petuntur, quos deligendos
relinquunt arbitrio superiorum. Non sic mea evocatio: non petijt
Rex Daniæ vel à Generali nro, vel à Provinciali virum ex Societate sibi
dari, quemcunque Astronomiæ peritum, qui observationem sumptibus, et
instrumentis à Rege suppeditandis suo in Regno faceret, non reliquit
deligendum hunc Virum arbitrio superiorum Societatis;
nihil horum omnium, sed datis ad Legatum suum hic Viennæ
residentem litteris, eique commissis primum dedit exquirendi animum (non alicujus ex Societate viri,
nullius sed solius Patris Hell Astronomi, num hujusmodi negotium et obsequium sibi
præstare vellet; ad hanc Regis quæstionem, mihi tali (non Provinciali
aut alicui superiorum) à Legato propositam, respondi indifferenter: animum
meum quod attineret evocationem hanc acceptandi, eum mihi esse quidem inclinatum promptum
Regi in hoc negotio serviendi, atque etiam
honorificum, acceptationem autem quod attineret eam quidem omnino pendere à voluntate
Augustissimæ Imperatricis, cujus Astronomus essem, et sine cujus scitu et
annutu ab officio Astronomi Cæsareo-Regij ad duos vel tres annos abesse
non possem; si itaque Rex clem. mea persona in hoc negotio
uti decerneret, necesse esse id ab Augustissima Imperatrice impetrare;
ad Responsum hoc meum Regi Daniæ Hafniam à Legato transcriptum, post quinque
hebdomadas aderant litteræ Regiæ ad suum Legatum, quibus eidem
demandatur facienda à Legato petitio mei apud Augustam nram,
quam etiam petitionem Regis Legatus per Cancellarium Aulæ nræ cels.
Principem de Kaunitz ad Augustam nram detulit, ejusque annutum
et consensum Augustissimæ ob Regis amicitiam (ut in decreto mihi communicato
expressum est) clementer obtinuit, Regique suo Hafniam perscripsit; mihi
verò idem Augustæ nræ consensus, seu facultas Regi in hoc negotio
ad tempus serviendi per decretum Cæsareo Regium sub sigillo
magno ab Aula nra indicatum, et expositum est, quod quoniam
Societati nræ est honorificum in ipso opere Expeditionis litterariæ
ad verbum referam. Nihil ergo seu evocatio à Rege Daniæ, seu facultas
peregrinandi Augusti. Imperatrice indulta, nihil totius
Expeditionis litterariæ negotium ad Patrem Sajnovics attinet, nisi quod (dilectum mihi olim discipulum pro celebris
quantum eundem sponte mea mihi in amanuensem aut socium hujus
itineris elegerim, et à Patre Provinciali (non ab Augusta
aut Rege Daniæ) dandum petierim; quid enim Sajnovicsij peregrinatio ad Augustam
pertinebat?, ne quidem mea peregrinatio quidquam cum Augustæ venia
habuisset commune, nisi Astronomus Cæsareus Augustæ fuissem; certe si
Astronomus aut Tyrnaviensis, aut Collegij Viennensis, aut Græcensis evocaretur ad tempus durationis
in alias terras, præter facultatem Generalis nri nulla prorsus ab Augusta venia
opus foret, contra verò si Confessarius Augustæ ab Aula ad duos annos
absens esse vellet, id puto, sine Aulæ annutu prorsus fieri posse;
atque idem de meo officio sibi imaginari debet cl. Author —

+

Christiani VII Daniae et Norvegiae Regis ~~ob~~ ~~[illegible]~~ vota, Wardoehusii in Lapponia Finnmarchica, Transitu Veneris die 3 Junii 1769 feliciter observato

---

auf den hohen markt im maurischen hauss
im 3ten stok auf die gasse H.r von Bartau

3.

Ex bibliotheca Suecica D. Netteb. pars 1. pag 96 tome & seriem Regum Finlandiæ recenset chronicon vetus.

1. Rostiófy.
2. Ferrióthy
3. Snijo.
4. Altus.
5. Gris.
6. Audur.
7. Jokul.
8. Ükö.
9. Frosty.
10. July.
11. Jengil.
12. Matul
13. Sumble
14. Kusó.
15. Dumber.

Saxo grammaticus, qui Sumbli et cusonis mentionem facit, etiam sequentes ex vita Starchateri recenset: Sambar, Ambar Elli ~~Atl~~ Athila, et filium Athilæ Ring, haud longe ab oppido, cuj nomen Falu degentes. putat floruisse Starchaterum sub Haraldo I cujus initium ad an̄u Xti 817 figitur.

Stalemberg: pag. 191 in nota: